



**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère <1543-1623>**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 19. De pœnis quas incurrunt ii qui diabolicis artibus dant operam, aut  
illos consulunt,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78477)

lice diuinationis, aut vanæ obseruantia. Sed si dentur tantum in augurium aliquid incertum ex quo nihil nisi fortuito expectetur, nõ videtur plus quam veniale peccatum esse: à quo tamen valde abstinendum est propter periculum affuiscendi vanitatibus, quibus solet diabolus se immiscere. Quinimo si dentur tantum propter consuetudinem, quæ iam à Christianis communiter obseruatur, nullum est peccatum, sicut nec est (sed potius sanctum & pius) quod is dies festus agatur, non quidem more Gentilium; sed Christianorum, in honorem circumcisionis Christi Domini: præsertim cum cessarint Gentilium superstitiones, propter quas, tum illius diei celebritas, tum strenzæ tanquam diabolicæ, videbantur omnino vitandæ.

CAPVT XIX.

De penis quas incurrunt ij, qui diabolicis artibus aut operam, aut illos consulunt.

SVMARIA.

- 191 Mors tum corporis, tum animæ subiciuntur iure diuino, dantes operam diabolicis artibus.
- 192 Septem pœna, quibus idem subiciuntur iure Ecclesiastico.
- 193 Alia quinque, quibus adhuc idem subiciuntur iure civili.
- 194 Leges ciuiles, quæ talibus penam mortis imponunt, iustissime esse censeri debent.
- 195 Pœna consulentium diuinatores, seu magorum opera videntur.
- 196 Quale peccatum sit eorum, qui intersunt spectaculis magorum.

191. **A**DVERSVS vtentes diabolicis superstitionibus, quos communi nomine magos vocamus, iure diuino statuta est pœna mortis tam corporis, vt patet ex cap. 22. Exodi; vers. 18. & cap. 20. Leuit. vers. 17. quam animæ; cum peccent mortaliter, vt in præcedentibus expositum est: & per consequens fiant æternæ damnationis rei.

192. Iure humano vero incurrunt 12. pœnas, quarum septem ius Ecclesiasticum imponit, reliquas ius civile. Prima igitur est, quæ habetur in cap. 1. De sortilegijs, vt illis imponi debeat pœnitentia 40. dierum: quantum nimirum crimen ipsorum fuerit occultum, vt Syluest. notat in verbo Superstitio quæst. 11. Secunda (quam ibid. Syluest. refert ex cap. Pro dilectione De consecrat. dist. 2. c. 2.) est, vt talibus cum notorij fuerint non administretur sacra communio; nisi prius egerint pœnitentiam, ex qua de conuersione ipsorum & reuerfione ad Dominum constet, iuxta ibidem proxime sequens capitulum Scenais. Tertia est, quod tales sint infames ipso iure, nec admittantur ad accusationem, vt habetur ex cap. Infames, 6. quæst. 1. Quarta est, vt tales excommunicari debeant, ex cap. Si quis Clericus, cap. Augurijs, & cap. Episcopi 26. quæst. 5. Quod quidem censendum est executioni mandatum esse per statutum synodale: in his locis in quibus solent Parochi die Dominico in ser Misfarum Solemnia inculcare populo, sortilegos & sortilegas, vsurarios & vsurarios excommunicari. Eam alias non incurrunt ipso facto notat Suarez in opere de religione tract. 3. lib. 2. cap. ultimo: causam referens in Ecclesiæ consuetudinem tanquam canonum interpretem. Quamquam, vt idem bene addit, qui expressum pactum cum dæmone habuerunt, præsumi possunt ad magiam adiunxisse hæresim, qua de diabolo crediderint aliquid contrarium fidei, & ideo incurrant ipso facto in excommunicationem latam cõtra hæreticos, & reseruatam in Bulla Cœnæ Domini. De quo, an res vere ita habeat, ad officium Confessarij pertinet diligenter inquirere.

Quinta pœna est, vt si ille qui tale crimen committit, sit Ecclesiasticus, deponatur ab omni officio & beneficio Ecclesiastico, & detrudatur in monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam. Hæc ex ead. quæst. habetur per ea quæ statuuntur in cap. Non oportet, cap. Si quis Episcopus, & cap. Quicumque. Intelligenda est autem ex Sylu. loco citato, quando quis admonitus non abstinerit à tali crimine: id quod insinuat, crm in cit. cap. Quicumque dicitur. Si eum antea verè pœnituit, coram Metropolitano, satis-

factio non purgauerit. Sexta pœna est, vt siue Clericus sit, siue laicus, debeat damnari perpetuo exilio. Hæc habetur in fine eiusdem cap. Quicumque: & est iure quoque ciuili irrogata, Cod. De Episcopali audentia. Lege Mathematicos, vbi appellatur pœna deportationis. Septima est, vt eorum libri non retineantur nec legantur, sed incendio crementur. Hanc consuetudo Ecclesiastica statuit, obseruata iam inde à temporibus Apostolorum, vt patet ex Act. s. ipsorum cap. 19. v. 19. & subsequentibus temporibus continuata, vt ostendit D. August. in Psal. 61. sub fin. Itq; tanta seueritate, vt ne Episcopis quidem tales libros retinere vel legere liceret, quibus licebat legere libros hæreticorum. Hoc patet ex cap. 1. dist. 37. Renouata vero est ea ipsa pœna in Indice librorum prohibitorum, edito Concilij Tridentini iussu, regula nona: habetur; statuta iure ciuili; cum in memorata lege Mathematicos dicitur, quod tales homines debeant sub oculis Episcoporum incendio cremare suos libros.


Atque hætenus pœnæ iure Canonico statuta: quæ restant omnes iure ciuili statuta habentur Cod. De maleficis & Mathematicis. Octaua igitur pœna habetur ibid. leg. 3. quod diuinator qui ad domum alterius accedit, debeat igne cremari. Nona vero habetur ex eadem lege, vt qui accusat magum, non incurrit crimen delatoris, sed potius afficiendus sit præmio. Decima habetur lege 5. vt magi & ceteri malefici capite plectantur. Vndecima habetur lege 7. quod etiam ille qui accusatur de crimine eius generis sit in dignitate constitutus & in comitatu Imperatoris, vel Cæsaris verferetur; nihilominus tormentis subiciatur. Duodecima habetur ex lege vltima, quod quis potest capere maleficiam, & Iudicij præsentare.

Iustissimas autem esse leges quibus magi puniuntur morte, patet tum ex supra citatis Scripturæ sacra locis; tum ex eo quod magi sæpe sint hæretici, & sæpe proximis nocent. in rebus externis & in corpore; & quod deterius est, ordinariè in anima: itaut mirum non sit, eiusmodi pœnales leges ciuiles approbari in cap. Peruenit, & in cap. Contra idolorum cultores 26. quæst. 5. & in bulla Innocentij VIII. quæ extat apud Iacobum Sprengerum in principio sui mallei maleficarum. Quod cum ita sit, non videtur dubium quin Iudices, qui maleficos non puniunt, grauius peccent, & teneantur relarcire omnia damna quæ eidem intulerint. Quamuis autem ius civile non puniat eos qui nulli nocent temporaliter, ex lege 4. Cod. De maleficis & Mathematicis: ius tamen Canonicum tales quoq; condemnat 26. quæst. 7. cap. Admoneant; nec ius civile eos tolerat omnino, sed punit cum aliquem seduxerint, aut aliquem docuerint suam magiam, vt deduci potest ex lege 5. rit. citato.

Quod attinet ad eos qui diuinatores consulunt, aut petunt à magis remedia secundæ generis eorum, quæ proposita sunt in præced. cap. 17. sect. 3. præter eas quas supra memoratis canonibus intelliguntur habere communes cum magis, inueniuntur sex alia ipsi imposita, tres iure Canonico & totidem iure ciuili. Prima est, quæ habetur 26. quæst. 5. cap. 1. vt is qui obseruat ariolos, aruspices, vel incantatores; vel eorum phylacterijs vitur, excommunicationi subiaceat. De qua excommunicatione dici perinde potest quod non incuratur ipso facto, ac de lata in ipsos Ariolos, aliosque magos antea dictum est. Secunda pœna est, quæ habetur in ead. quæst. cap. 2. & 3. vt dicti consulentes vel remedium petentes debeant pœnitentiam agere per quinquennium: quæ iam pœnitentia iam relicta est arbitrio Confessarij, sicut & aliæ similes Canonum pœnitentialium, prout suo loco in præced. lib. 7. iam annotauimus. Tertia pœna est, quæ habetur in supra cit. cap. Admoneant, vt si Clericus sit is cui aliquid tale contingit, degradetur; si laicus, anathematizetur. Quarta, habetur lege 3. Cod. de maleficis & mathem. vt is qui vocat magum aut diuinatorem ad domum suam, deportetur in insulam post ademptionem bonorum omnium. Quinta est, vt qui tales consulit gladio ferendus sit: quod habetur in ead. lege. Postremo habetur cod. tit. leg. 8. vt qui discit magicam scientiam, incurrat eam pœnam quam magus à quo docetur.

Hic occurrit monendum præter antedictos, grauius respectu artium magicarum peccare illos, qui intersunt magorum spectaculis, quæ virtute diaboli exhibent. Nam cara-

tionem consentiunt peccato ipsorum graui, & per consequens grauius peccant, ex cap. 1. epist. ad Roman. in fin. tuncque maxime & grauius, cum magos ipsos ad talia inducunt precibus vel pretio: quia non tantum consentiunt, sed etiam causam dant peccato. Quamquam per ignorantiam excusari possunt à mortali, quando probabiliter putant talia non fieri arte diaboli, vel certe nullo modo id in mentem illis venit: secus si mouerentur à discreto viro, nec propterea desisterent.



TRACTATUS V.

De humilitate, timore Dei, & obedientia, atque vitis contrariis.



X virtutibus, quas ad i. Decalogi præceptum pertinere notauimus in principio huius libri, tres restant cum vitis contrariis tractanda: humilitas, timor Dei, & obedientia. Prius autem de humilitate quam de duab. reliquis videtur dicendum duplici nomine: tum quia ex D. August. in epist. 56. ad Dioscorum, est prima post fidem ad Christum via. Quod patet, quia fides directe ac principaliter est principiu ambulandi digne Deo, iuxta illud ad Hebr. 11. Impossibile est sine fide placere Deo. Humilitas vero indirecte & dispositiue. Indirecte quidem, quatenus remouet impedimentum virtutum, quod est superbia; dispositiue autem, quatenus facit hominem Deo subditum & paratum ad recipiendum gratiæ ipsius influxum, qui fons est ac seminarium virtutum. Quod vtrumque, prout post dicitur, insinuant verba illa: Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam, Iacob. 4. Tum etiam quia humilitas quadam ratione est virtutu potissima, prout D. Thom. ostendit 2. 2. q. 161. art. 5. adeo vt merito intelligatur significata nomine omnis iustitiæ cum Dominus Matth. 3. D. Ioanni Baptistæ humiliter recusanti baptizare ipsum, dixit: Sic decet nos implere omnem iustitiã. De ea autem & contraria superbia laici disputant D. Thomas & Caiet. in ead. quest. 161. & in seq. 162. aliique plures quos commemorat Sebastianus Medicus in Summa de peccatis capitalibus, tit. 2. Quæ ad nostrum institutum sufficere videntur complectemur tribus capitibus: quorum vnum erit de humilitate, alterum de superbia, & reliquum de huius speciebus & filiabus.

CAPVT XX.

De humilitate.

S V M M A R I V M.

- 197 Definitio humilitatis, & vnde ea nascatur.
- 198 Quatenus ex humilitate debeat vel non debeat quis se alius subiicere.
- 199 Quæ ratione possit quis sine falsitate credere, & dicere, se peccatorem esse omnium maximum.
- 200 Datur præceptum de humilitate obligans sub mortali.
- 201 Tres gradus humilitatis.
- 202 Quando conueniat transgressio præcepti de humilitate.

197.



DEFINIRI potest humilitas congruenter doctrinæ D. Thomæ in memorata quest. 161. virtus qua quis reprimat ipsum, ne effrat se super id quod est. Quæ definitione significatur humilitatis rationem in eo consistere, vt per eam homo subdatur, totoque animo subiiciat se Deo, & proximo propter Deum. Etenim humilitas de se respicit primo ac præcipue Deum, & præterea proximum propter Deum, iuxta illud 1. Petri 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. Nascitur vero imprimis ex ea cognitione Dei, quæ per doctrinam supernaturalem fidei habetur de maiestatis ipsius, magnitudine, & excellentia. At qua ex parte vero ex consideratione nostri coram Deo: ad cuius lumen veritatis constitutus homo; seipsum & sine dissimulatione inspicit, & sine palliatione diiudicat, prout habet D. Bernardus serm. 42. in Cantica. Ex qua consideratione prouenit ea cognitio nostri, seu propriæ nostræ infirmitatis, per quam agno-

scimus & per suatum habemus nos imbecillos esse ad omne bonum inchoandum, & perficiendum: nisi nos Dei gratia anteuertat & manu ducat.

Notare autem oportet pro praxi: esse quidem ad humilitatem necessarium semper subdi Deo, non tamen semper subdi proximo. Nam vt loc. cit. art. 3. D. Thom. docet, in homine considerari potest tum id quod est Dei, tum id quod est ipsius hominis; atq; humilitatem exigere quidem, vt quilibet homo secundum illud quod suu est, se subiiciat cuilibet proximo, secundum illud quod Dei est in eo: (ad quod facit illud 1. Petri 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum) non tamen vt se subiiciat quatenus nouit se Dei donum habere, siue supernaturale, siue naturale; illum vero, minime habere. Nam si se in eo non subiicere, esset contra humilitatem, Apost. ad Ephes. 3. non diceret: Aliis generationibus non est agnatum filiis hominum, sicut reuelatum est sanctis Apostolis eius. Et ad Galat. 2. Nos natura Iudæi & non ex gentibus peccatores. Quamquam quibuscumque donis polleat quis, potest se per humilitatem: aliis subiicere, reputando aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habeat; vel aliquid mali in se esse, quod non sit in alio, & ita implere illud quod ad Philip. cap. 5. D. Paulus præscribit: In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantur. ]

Inde etiam à falsitate excusari potest quod quis ex humilitate credat & pronunciet se omnibus aliis detestorem esse: siue (vt ipse D. Apostolus dixit in 1. ad Timoth. cap. 1. se esse primum peccatorum; id nimirum vna ex parte, intelligendo secundum eos oculos de defectu, quos in se recognoscit; & ex altera, secundum Dei dona quæ latent in aliis, prout intelligendum esse attingit D. Thomas in cit. art. 3. ad 2. & in seq. art. 6. ad 1. Vbi aliam adhuc tangit excusationem à falsitate in eo qui omnibus aliis se per humilitatem subiicit, quod possit credere & confiteri se ad omnia inutilem esse per proprias vires, totam suam sufficientiam referendo in Deum; iuxta illud posterioris ad Corinth. 3. Non quod sufficientes simus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est] & illud Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. ] & illud Proverb. 16. Cor hominis disponit viam suam, sed Dei est dirigere gressus eius. ]

Quod autem humilitas sit in præcepto obligate sub mortali, patet per illud Matth. 16. Qui vult venire post me abneget semetipsum] & illud in seq. cap. 8. Nisi conuerſi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum celorum] & illud Iacobi 4. Deus superbis resistit humilibus autem dat gratiam. ] Quibus auctoritatibus Scripturæ, cum satis significetur ad consecutionem æternæ salutis necessariã esse humiliatiõnem, actum proprium humilitatis: negari nõ potest quin ea sit in præcepto, quod sub mortali obliget, tanquam datum dera ad salutem necessariã.

Sed notandum est, ex glossa ad illud D. Matth. cap. 3. Sine modo; sic enim decet nos implere omnem iustitiã: tres gradus humiliationis distinguuntur: Primus est, subdere se maiori & non præferre se equali: secundus subdere se equali nec se præferre minori: tertius est subdere se minori: quorum primus vt additur in eadem glossa, est sufficiens: nimirum ad impletionem memorati præcepti. Secundus est abundans, tanquam opus supererogationis: & in tertio est omnis iustitiã: vt pote ratione cuius maxime, humilitas censetur esse quasi genu virtutum (iuxta D. Basilium in const. Monast. cap. 17.) in quo tutissime custo diuntur: quandoquidem ab anima eliminat omnem superbiam, quæ est virtutum impedimentum, cum ex D. Iacobi cap. 4. Deus superbis resistat; nec virtutum studium sine Dei auxilio constare possit: animam item ipsam disponit ad recipiendum diuinæ gratiæ influxum, iuxta illud quod in eodem loco additur: humilibus autem dat gratiam. ] Is enim influxus semen est & origo conseruatiõne virtutum.

Cæterum prædicti præcepti transgressione peccatur tum per omissionem, quando fit aliquid opus omnino exigens humilitatem sicut coram Deo (vt celebratio Missæ exigat) aut quando offert se occasio peccandi mortaliter, ad quam vitandam talis humiliatio est omnino necessaria: vt cum in vehementi tentatione ad vincendam eam, recurrendum est ad humilem implorationem diuini auxilij. Per commissiõnem vero eadem transgressione peccatur: tum superbe effe-

rendo